



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De Imitatione Christi Libri Qvatvor

Thomas <von Kempen>

Antverpiæ, 1617

Liber Qvartvs. De Sacramento.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45760)

THOMÆ A KEMPIS  
 CANONICI REGVLARIS  
 Ordinis S. AVGVSTINI  
 DE IMITATIONE  
 CHRISTI  
 LIBER QVARTVS.

*De Sacramento.*

*Deuota exhortatio, ad sacram  
 Communionem.*

VOX CHRISTI.

*Mat. II*



*Ioan. 6.*

*Mat. 26*

*Co<sup>1</sup>.*

*Cor. II.*

*Io. n. 6.*

ENITE ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos, dicit Dominus. Panis, quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita. Accipite & comedite, hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur: Hoc facite in meam commemorationem. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me



me manet, & ego in illo. Verba, quæ  
ego locutus sum vobis, spiritus &  
vita sunt.

## CAP. I.

*Cum quanta reuerentia, Christus  
sit suscipiendus.*

## VOX DISCIPULI.

**H**Æc sunt verba tua Christe,  
veritas æterna, quamuis non  
vno tempore prolata, nec vno in lo-  
co conscripta. Quia ergo tua sunt,  
& vera, gratanter mihi & fideliter,  
cuncta sunt accipienda. Tua sunt, &  
tu ea protulisti: & mea quoque sunt,  
quia pro salute mea ea edidisti. Li-  
benter suscipio ea ex ore tuo, vt ar-  
ctius inserantur cordi meo. Excitant  
me verba tantæ pietatis, plena dulce-  
dinis & dilectionis. Sed terrent me  
delicta propria: & ad capienda tanta  
mysteria, me reuerberat impura con-  
scientia. Prouocat me dulcedo verbo-  
rum tuorum, sed onerat me multitu-  
do vitiorum meorum.

2 Iubes, vt fiducialiter ad te acce-  
dam, si tecum velim habere partem:



& vt immortalitatis accipiam alimonia-  
 niam, si æternam cupiam obtinere  
 vitam & gloriam. Venite, inquis, ad  
 me omnes qui laboratis & onerati  
 estis, & ego reficiam vos. O dulce &  
 amicabile verbum in aure peccatoris,  
 quòd tu, Domine Deus meus, ege-  
 num & pauperem inuitas, ad Com-  
 munionem tui sanctissimi Corporis.  
 Sed quis ego sum Domine, vt ad te  
 præsumam accedere? Ecce, cæli celo-  
 rum te non capiunt, & tu dicis, Venite  
 ad me omnes.

Mat. II.  
 Ibid.

3 Quid sibi vult ista piissima digna-  
 tio, & tam amicabilis inuitatio? Quo-  
 modo ausus ero venire, qui nihil bo-  
 ni mihi conscius sum, vnde possim  
 præsumere? Quomodo te introdu-  
 cam in domum meam, qui sæpiùs  
 offendi benignissimam faciem tuam?  
 Reuerentur Angeli & Archangeli,  
 metuunt Sancti & iusti, & tu dicis:  
 Venite ad me omnes? Nisi tu Domi-  
 ne hoc diceres, quis verum esse crede-  
 ret? Et nisi tu iuberes, quis accedere  
 attentaret? Ecce, Noë vir iustus in ar-  
 cæ fabrica centam annis laborauit, vt  
 cum paucis saluaretur: & ego quo-  
 modo

Mat. II

Genes. 6



modo me potero vna hora præparare,  
vt mundi fabricatorem cum reueren-  
tia sumam?

4 Moyſes famulus tuus magnus, & <sup>Exo. 25</sup>  
ſpecialis amicus tuus, arcam ex lignis <sup>Ch. 26.</sup>  
imputribilibus fecit, quam & mun-  
diſſimo veſtiuit auro, vt tabulas Legis  
in ea reponeret: & ego putrida crea-  
tura, audebo te conditorem legis, ac  
vitæ datorem, tam facilè ſuſcipere?  
Salomon ſapiētiffimus Regum Iſraël, <sup>3. Reg. 6</sup>  
templum magnificum ſeptem annis,  
in laudem nominis tui ædificauit: &  
oſto diebus feſtum dedicationis eius <sup>3. Reg. 8</sup>  
celebrauit: mille hoſtias pacificas ob-  
tulit: & arcam fœderis in clangore  
buccinæ & iubilo in locum ſibi præ-  
paratum ſolemniter collocauit. Et  
ego infelix & pauperrimus hominum,  
quomodo te in domum meam intro-  
ducam, qui vix mediam expendere  
deuotè noui horam? & vtinam vel ſe-  
mel dignè ferè mediam!

5 O mi Deus, quantum illi, ad pla-  
cendum tibi, agere ſtuduerunt! Heu,  
quàm puſillum eſt, quod ago! quàm  
breue expleo tēpus, cum me ad com-  
municandum diſpono! Rarò totus  
colle-



collectus, rarissimè ab omni distractione purgatus. Et certè in tua salutari deitatis præsentia, nulla deberet occurrere indecens cogitatio, nulla etiam occupare creatura: quia non Angelum, sed Angelorum Dominum, suscepturus sum hospitio.

6 Est tamen valdè magna distantia, inter arcam fœderis cum suis reliquiis, & mundissimum Corpus tuum cum suis ineffabilibus virtutibus: inter legalia illa sacrificia futurorum præfiguratiua, & veram tui Corporis hostiam, omnium antiquorum sacrificiorum completiuam. Quare igitur non magis, ad tuam venerabilem inardesco præsentiam? Cur non maiori me præparo sollicitudine, ad tua sancta sumenda: quando illi antiqui sancti Patriarchæ & Prophetæ, Reges quoque & Principes, cum vniuerso populo, tantum deuotionis demonstrarunt affectum, erga cultum diuinum?

2 Reg. 6 7 Saltauit deuotissimus Rex Dauid coram arca Dei totis viribus, recolens beneficia olim indulta Patribus: fecit diuersi generis organa, psalmos edidit,



dit, & cantari instituit cum lætitia, cecinit & ipse frequenter in cithara, Spiritus sancti afflatus gratia: docuit populum Israël toto corde Deum laudare, & ore consono diebus singulis benedicere & prædicare. Si tanta agebatur tunc deuotio, ac diuinæ laudis exstitit recordatio coram arca testamenti; quanta nunc mihi, & omni populo Christiano, habenda est reuerentia & deuotio, in præsentia Sacramenti, in sumptione excellentissimi Corporis Christi?

8 Currunt multi ad diuersa loca, pro visitandis reliquiis Sanctorum: & mirantur auditis gestis eorum, ampla ædificia templorum inspiciunt, & osculantur sericis & auro inuoluta sacra ossa ipsorum. Et ecce, tu præses hîc apud me in altari, Deus meus, Sanctus sanctorum, creator omnium, & Dominus Angelorum. Sæpè in talibus videndis curiositas est hominum, & nouitas inuisorum, & modicus reportatur emendationis fructus: maximè vbi est tam leuis, sine vera contritione, discursus. Hîc autem in Sacramento altaris, totus præ-

sens



sens es, Deus meus, homo Christus Iesus: vbi & copiosus percipitur æternæ salutis fructus, quotiescumque fueris dignè ac deuotè susceptus. Ad istud verò non trahit leuitas aliqua, nec curiositas aut sensualitas: sed firma fides, deuota spes, & sincera charitas.

9 O inuisibilis conditor mundi Deus, quàm mirabiliter agis nobiscum! quàm suauiter & gratiosè cum electis tuis disponis, quibus temetipsum in Sacramento sumendum proponis! Hoc namque omnem intellectum superat: hoc specialiter deuotorum corda trahit & accendit affectum. Ipsi enim veri fideles tui, qui totam vitam suam ad emendationem disponunt, ex hoc dignissimo Sacramento, magnam deuotionis gratiam, & virtutis amorem, frequenter recipiunt.

10 O admirabilis & abscondita gratia Sacramenti, quam norunt tantùm Christi fideles! infideles autem, & peccatis seruietes, experiri non possunt. In hoc Sacramento confertur spiritualis gratia, &  
repa-



reparatur in anima virtus amissa : & per peccatum deformata , redit pulchritudo. Tanta est aliquando hæc gratia , vt ex plenitudine collatæ deuotionis , non tantùm mens , sed & debile corpus , vires sibi præstitas sentiat ampliores.

11 Dolendum tamen valdè & miserandum super tepiditate & negligentia nostra , quòd non maiori affectione trahimur ad Christum sumendum : in quo tota spes saluandorum consistit , & meritum. Ipse enim est sanctificatio nostra , & redemptio : ipse consolatio viatorum , & Sanctorum æterna fruitio. Dolendum itaque valdè , quòd multi tam parum hoc salutare mysterium aduertunt , quod cælum lætificat , & mundum conseruat vniuersum. Heu cæcitas , & duritia cordis humani , tam ineffabile donum non magis attendere , & ex quotidiano vsu , etiam ad inaduertentiam defluere!

12 Si enim hoc sanctissimum Sacramentum , in vno tantùm celebraretur loco , & ab vno tantùm consecraretur sacerdote in mundo : quantò putas desi-

desi-



desiderio ad illum locum, & ad talem  
 Dei sacerdotem, homines afficeren-  
 tur, vt diuina mysteria celebrari vide-  
 rent? Nunc autem multi facti sunt sa-  
 cerdotes, & in multis locis offertur  
 Christus: vt tantò maior appareat  
 gratia, & dilectio Dei ad hominem,  
 quantò latiùs est sacra Communio  
 diffusa per orbem. Gratias tibi I E S V  
 bone, pastor æterne, qui nos pau-  
 peres & exules dignatus es pretioso  
 Corpore & Sanguine tuo reficere: & ad  
 hæc mysteria percipienda, etiam pro-  
 prij oris tui alloquio, inuitare dicen-  
 do: Venite ad me omnes, qui laboratis  
 & onerati estis, & ego reficiam vos.

## CAP. II.

*Quòd magna bonitas & charitas  
 Dei, in Sacramento, homini  
 exhibetur.*

## VOX DISCIPVLI.

**S**UPER bonitate tua, & magna mi-  
 sericordia tua Domine confisus,  
 accedo æger ad Saluatorem, esuriens  
 & sitiens ad fontem vitæ, egenus ad  
 Regem



Regem cæli, seruus ad Dominum,  
 creatura ad creatorem, desolatus ad  
 meum pium consolatorem. Sed vn-  
 de hoc mihi, vt venias ad me? Quis *LUC. I.*  
 ego sum, vt præstes mihi teipsum?  
 Quomodo audet peccator coram te  
 apparere? & tu quomodo dignaris ad  
 peccatorem venire? Tu nosti seruum  
 tuum, & scis quia nil boni in se ha-  
 bet, vnde hoc illi præstes. Confi-  
 teor igitur vilitatem meam, agnosco  
 tuam bonitatem, laudo pietatem, &  
 gratias ago propter nimiam charita-  
 tem. Propter temetipsum enim hoc  
 facis, non propter mea merita: vt bo-  
 nitas tua mihi magis innotescat, cha-  
 ritas amplior ingeratur, & humilitas  
 perfectiùs commendetur. Quia ergo  
 tibi hoc placet, & tu sic fieri iussisti,  
 placet & mihi dignatio tua, & vtinam  
 iniquitas mea non obsistat.

2 O dulcissime & benignissime Iesu,  
 quanta tibi reuerentia & gratiarum  
 actio cum perpetua laude, pro susce-  
 ptione sacri Corporis tui debetur, cu-  
 ius dignitatem nullus hominum ex-  
 plicare potens inuenitur. Sed quid co-  
 gitabo in hac Cômunionem, in accessu  
 -imod ad



ad Dominum meum, quem debite venerari nequeo, & tamen deuote suscipere desidero? Quid cogitabo melius & salubrius, nisi meipsum totaliter humiliando coram te, & tuam infinitam bonitatem exaltando supra me? Laudo te, Deus meus, & exalto in æternum. Despicio me, & subiicio tibi, in profundum vilitatis meæ.

3 Ecce tu Sanctus sanctorum, & ego sordes peccatorum. Ecce tu inclinas te ad me, qui non sum dignus ad te respicere. Ecce tu venis ad me, tu vis esse mecum, tu inuitas ad conuiuium tuum. Tu mihi dare vis cælestem cibum, & panem Angelorum ad manducandum: non alium sanè, quàm teipsum, panem viuum, qui de cælo descendisti, & das vitam mundo.

*Psal. 77.*  
*Ioan. 6.*

4 Ecce, vnde dilectio procedit, qualis dignatio illucescit, quàm magnæ gratiarum actiones & laudes tibi pro his debentur. O quàm salutare & utile consilium tuum, cùm istud instituisti! quàm suaue & iucundum conuiuium, cùm teipsum in cibum donasti! O quàm admirabilis operatio tua

Domi-



Domine ! quàm potens virtus tua !  
quàm ineffabilis veritas tua ! Dixisti  
enim , & facta sunt omnia : & hoc fa- *Genes. 1.*  
ctum est, quod ipse iussisti. *& Psal.*  
*148.*

5 Mira res, & fide digna, ac humanū  
vincens intellectum: quòd tu, Domine  
Deus meus, verus Deus & homo,  
sub modica specie panis & vini, inte-  
ger contineris, & sine consumptione à  
sumente manducaris. Tu Domine *Psal. 115*  
vniuersorum, qui nullius habes indi-  
gentiam, voluisti per Sacramentum  
tuum habitare in nobis: conserua cor  
meum, & corpus immaculatum: vt læ-  
ta & pura conscientia, sæpiùs tua va-  
leam celebrare mysteria, & ad meam  
perpetuam accipere salutem: quæ ad  
tuum præcipuè honorem, & memo-  
riale perenne, sanxisti & instituisti.

6 Lætare anima mea, & gratias age  
Deo, pro tam nobili munere & sola-  
tio singulari, in hac lachrymarum val-  
le, tibi relicto. Nam quoties hoc my-  
sterium recolis, & Christi Corpus ac-  
cipis: toties tuæ redèptionis opus agis,  
& particeps omniū meritorum Chri-  
sti efficeris. Charitas etenim Christi  
numquam minuitur, & magnitudo  
propi-



propitiationis eius, numquam exhauritur. Ideò noua semper mentis renouatione, ad hoc disponere te debes, & magnum salutis mysterium, attentè consideratione pensare. Ita magnum, nouum, & iucundum tibi uideri debet, cùm celebras, aut Missam audis: ac si eodem die Christus primum in uterum Virginis descendens, homo factus esset: aut in cruce pendens, pro salute hominum pateretur & moreretur.

## CAP. III.

*Quòd utile sit, sapè communicare.*

## VOX DISCIPULI.

**E**CCĒ, ego ad te venio Domine, vt benè mihi sit ex munere tuo, & lætificer in conuiuio sancto tuo, quod parasti in dulcedine tua pauperi DEVS. Ecce, in te est totum, quod desiderare possum & debeo; tu salus mea, & redemptio, spes & fortitudo, decus & gloria. Lætifica ergo hodie animam serui tui, quoniam ad te Domine Iesu



Iesu animam meam leuauit. Desidero te nunc deuotè ac reuerenter suscipere; cupio te in domum meam inducere, quatenus cum Zachæo merear à te benedici, ac inter filios Abrahamæ computari. Anima mea Corpus tuum concupiscit, cor meum tecum vniri desiderat.

2 Trade te mihi, & sufficit. Nam præter te, nulla consolatio valet. Sine te esse nequeo; & sine uisitatione tua, uiuere non valeo. Ideoque oportet me frequenter ad te accedere, & in remedium salutis meæ recipere: ne fortè deficiam in via, si fuero cælesti fraudatus alimonia. Sic enim tu misericordissime Iesu, prædicans populis, & varios curans languores, aliquando dixisti: Nolo eos ieiunos dimittere in domum suam, ne deficiant in via. Age igitur hoc mecum modo, qui te pro fidelium consolatione in Sacramento reliquisti. Tu es enim suavis refectio animæ, & qui te dignè manducauerit, particeps & hæres erit æternæ gloriæ. Necessarium quidem mihi est, qui tam sæpè labor, & pecco, tam citò torpescō & deficio; ut per fre-

Mat 15

Mar. 8.

M

quen-



quentes orationes & confessiones, ac  
sacram Corporis tui perceptionem,  
me renouem, mundem, & accendam;  
ne fortè diutiùs abstinendo, à sancto  
 proposito defluam.

Gen 8.

3 Proni enim sunt sensus hominis  
ad malum, ab adolescentia sua, & ni-  
si succurrat diuina medicina, labitur  
homo mox ad peiora. Retrahit ergo  
sancta Communio à malo, & confor-  
tat in bono. Si enim modò tam sapè  
negligens sum & tepidus, quando  
communico aut celebros; quid fieret,  
si medelam non sumerem, & tam  
grande iuuamen non quærerem? Et  
licet omni die non sim aptus, nec ad  
celebrandum benè dispositus; dabo  
tamen operam, congruis temporibus  
diuina percipere mysteria, ac tantæ  
gratiæ participem me præbere. Nam  
hæc est vna principalis fidelis animæ  
consolatio, quàm diu peregrinatur à  
te in mortali corpore, vt sapiùs me-  
mor Dei sui, dilectum suum deuota  
suscipiat mente.

4 O mira circa nos tuæ pietatis di-  
gnatio, quòd tu Domine Deus, crea-  
tor & viuificator omnium spirituum,  
ad



ad pauperulam dignaris venire animam, & cum tota diuinitate tua ac humanitate, eius impinguare esuriem. O felix mens & beata anima, quæ te Dominum Deum suum meretur deuotè suscipere, & in tui susceptione, spiritali gaudio repleti! O quàm magnum suscipit Dominum, quàm dilectum inducit hospitem, quàm iucundum recipit socium, quàm fidelem acceptat amicum, quàm speciosum & nobilem amplectitur sponsum præ omnibus dilectis, & super omnia desiderabilia amandum. Sileant à facie tua (dulcissime dilecte meus) cælum & terra, & omnis ornatus eorum; quoniam quidquid laudis habent ac decoris, ex dignatione tuæ est largitatis, nec ad decorem tuiperuenient nominis, cuius sapientiæ non est numerus. Ps. 146.

M 2 CAP.

CAP.



## CAP. IIII.

*Quòd multa bona prestantur, deuotè  
communicantibus.*

## VOX DISCIPVLI.

*Pf. 20.* I **D**OMINE Deus meus, præueni  
seruum tuum in benedictioni-  
bus dulcedinis tuæ, vt ad tuum magni-  
ficum Sacramentum, dignè ac deuotè  
merear accedere. Excita cor meum in  
*Pf. 105.* te, & à graui torpore exue me. Visita  
me in salutari tuo, ad gustandum in  
spiritu suauitatem tuam, quæ in hoc  
Sacramento tamquam in fonte, ple-  
nariè latet. Illumina quoque oculos  
meos, ad intuendum tantum myste-  
rium: & ad credendum illud indu-  
bitata fide, me roborata. Est enim  
operatio tua, non humana potentia:  
tua sacra institutio, non hominis ad-  
inuentio. Non enim ad hæc capien-  
da & intelligenda aliquis idoneus per  
se reperitur, quæ angelicam etiam  
subtilitatem transcendunt. Quid er-  
go ego peccator indignus, terra &  
cinis, de tam alto sacro secreto,  
potero



potero inuestigare & capere?

2 Domine, in simplicitate cordis mei, in bona firma fide, & in tua iussione, ad te cum spe ac reuerentia accedo: & verè credo, quia tu præsens es hîc in Sacramento, Deus & homo. Vis ergo, vt te suscipiam, & meipsum tibi in charitate vniam. Vnde tuam precor clementiam, & specialem ad hoc imploro mihi donari gratiam; vt totus in te liquefiam & amore peresfluam, atque de nulla aliena consolatione ampliùs me intromittam. Est enim hoc altissimum & dignissimum Sacramentum, salus animæ & corporis, medicina omnis spiritualis languoris: in quo vitia mea curantur, passionibus frenantur, tentationes vincuntur aut minuuntur: gratia maior infunditur, virtus incepta augetur, firmatur fides, spes roboratur, & charitas ignescit ac dilatatur.

3 Multa namque bona largitus es, & adhuc sæpiùs largiris in Sacramento, dilectis tuis deuotè communicantibus, Deus meus, susceptor animæ meæ, reparator infirmitatis humanæ, & totius dator consolationis



internæ. Nam multam ipsis consolationem, aduersus variam tribulationem infundis, & de imo deiectionis propriæ ad spem tuæ protectionis erigis, atque noua quadam gratia eos intus recreas, & illustras: vt qui anxij primùm & sine affectione, se ante Communionem senserant: postea re-  
fecti cibo potuque cælesti, in melius se mutatos inueniant. Quod idcirco cum electis tuis dispensanter agis, vt veraciter agnoscant, & patenter experiantur, quantum infirmitatis ex se ipsis habeant, & quid bonitatis ac gratiæ, ex te consequantur. Quia ex se-  
metipsis frigidi, duri, & in deuoti: ex te autem feruentes, alacres, & deuoti esse merentur. Quis enim ad fontem suauitatis humiliter accedens, non modicum suauitatis inde reportat? Aut quis iuxta copiosum ignem stans, non parum caloris inde percipit? Et  
*Ia. 12.* tu fons es semper plenus & superabundans,  
*Leuit. 6.* ignis iugiter ardens & numquam deficiens.

4 Vnde si mihi non licet haurire de plenitudine fontis, nec vsque ad satietatem potare, apponam tamen os  
 meum



meum ad foramen cælestis fistulæ: vt  
 saltem modicam inde guttulam ca-  
 piam, ad refocillandam sitim meam,  
 & non penitus exarescam. Et si nec-  
 dum totus cælestis & tam ignitus, vt  
 Cherubim & Seraphim esse possum:  
 conabor tamen deuotioni insistere, &  
 cor meum præparare, vt vel modi-  
 cam diuini incendij flammam, ex hu-  
 mili sumptione viuifici Sacramenti  
 conquiram. Quidquid autem mihi  
 deest Iesu bone, Saluator sanctissime,  
 tu pro me supple benignè ac gratiosè,  
 qui omnes ad te dignatus es voca-  
 re, dicens: Venite ad me omnes, qui  
 laboratis & onerati estis, & ego refi-  
 ciam vos. Mat. XI

5 Ego quidem laboro in sudore Gen. 3.  
 vultus mei, dolore cordis torqueor,  
 peccatis oneror, tentationibus inquie-  
 tor, multis malis passionibus implicor  
 & premor: & non est qui adiuuet, non  
 est qui liberet, & saluum faciat, nisi tu  
 Domine Deus saluator meus: cui  
 committo me & omnia mea, vt me  
 eustodias, & perducas in vitam ater-  
 nam. Suscipe me in laudem & glo-  
 riam nominis tui, qui Corpus tuum

M. 4 & San-



& Sanguinem, in cibum & potum mihi parasti. Præsta Domine Deus salutaris meus, vt cum frequentatione mysterij tui, crescat meæ deuotionis affectus.

## CAP. V.

*De dignitate Sacramenti, & statu sacerdotali.*

## VOX DILECTI.

*Mat. 18* **S**I haberes angelicam puritatem, & sancti Ioannis Baptistæ sanctitatē: non esses dignus, hoc Sacramentum accipere, nec tractare. Non enim hoc meritis debetur hominum, quòd homo consecret & tractet Christi Sacramentum, & sumat in cibum panem Angelorum. Grande mysterium, & magna dignitas Sacerdotum: quibus datum est, quod Angelis non est concessum. Soli namque Sacerdotes ritè in Ecclesia ordinati, potestatem habent celebrandi, & Corpus Christi consecrandi. Sacerdos quidem minister est Dei, vt es verbo Dei, per iussionem & institutionem Dei:  
Deus



Deus autem ibi principalis est auctor,  
& inuisibilis operator, cui subest om-  
ne . quod voluerit , & parer omne  
quod iusserit.

*Gen. 1.  
Ps 48.  
& Ro-  
man. 9.*

2 Plus ergo credere debes Deo om-  
nipotenti , in hoc excellentissimo Sa-  
cramento , quàm proprio sensui , aut  
alicui signo visibili . Ideoque cum ti-  
more & reuerentia ad hoc opus est  
accedendum . Attende tibi , & vide  
cuius ministerium tibi traditum est ,  
per impositionem manus Episcopi .  
Ecce , Sacerdos factus es , & ad cele-  
brandum consecratus ; vide nunc , vt  
fideliter & deuotè , in suo tempore,  
Deo sacrificium offeras , & teipsum  
irreprehensibilem exhibeas . Non al-  
leuiasti onus tuum , sed arctiori iam  
alligatus es vinculo disciplinæ , & ad  
maiores teneris perfectionem sancti-  
tatis . Sacerdos omnibus virtutibus  
debet esse ornatus , & aliis bonæ vi-  
tæ exemplum præbere . Eius conuer-  
satio , non cum popularibus & com-  
munibus hominum viis , sed cum An-  
gelis in cælo , aut cum perfectis viris  
in terra.

*1. Tim.  
4.*

*Phil. 3.*

3 Sacerdos sacris vestibus indutus,

M 5

Chri-



*Heb. 5.* Christi vices gerit; vt Deum pro se & pro omni populo, suppliciter & humiliter roget. Habet ante se & retro Dominicæ crucis signum, ad memorandam iugiter Christi passionē: Ante se crucem in casula portat, vt Christi vestigia diligenter inspiciat, & sequi feruenter studeat. Post se cruce signatus est, vt aduersa quælibet ab aliis illata, clementer pro Deo toleret. Ante se crucem gerit, vt propria peccata lugeat: Post se, vt aliorum etiam commissa per compassionem defleat, & se medium inter Deum & peccatorem constitutum esse sciat: nec ab oratione, & oblatione sancta torpescat, donec gratiam & misericordiam impetrare mereatur. Quando Sacerdos celebrat, Deum honorat, Angelos lætificat, Ecclesiam ædificat, viuos adiuuat, defunctis requiem præstat, & sese omnium bonorum participem efficit.

CAP.



## CAP. VI.

*Interrogatio de exercitio, ante  
Communionem.*

## VOX DISCIPVLI.

**I** CVM tuam dignitatem, Domine,  
& meam vilitatem penso, valdè  
contremisco, & in meipso confundor.  
Si enim non accedo, vitam fugio: &  
si indignè me ingessero, offensam in-  
curro. Quid ergo faciam, Deus meus,  
auxiliator meus, & consiliator in ne-  
cessitatibus?

**2** Tu doce me viam rectam. Propo-  
ne breue aliquod exercitium, sacræ  
Communioni congruum. Vtile est  
enim scire, qualiter scilicet deuotè ac  
reuerenter, tibi præparare debeam cor  
meum, ad recipiendum salubriter  
tuum Sacramentum, seu etiam cele-  
brandum tam magnum & diuinum  
sacrificium.



## CAP. . VII.

*De discussione propria conscientie,  
& emendationis proposito.*

## VOX DILECTI

**I** SUPER omnia, cum summa humilitate cordis & supplici reuerentia, cum plena fide & pia intentione honoris Dei, ad hoc Sacramentum celebrandum, tractandum, & sumendum, oportet Dei accedere Sacerdotem. Diligenter examina conscientiam tuam: & pro posse tuo, vera contritione & humili confessione, eam munda & clarifica: ita ut nil graue habeas, aut scias, quod te remordeat, & liberum accessum impediat. Habeas displicentiam omnium peccatorum tuorum in generali, & pro quotidianis excessibus magis in speciali doleas & gemas. Et si tempus patitur, Deo in secreto cordis, cunctas confitere passionum tuarum miserias.

2 Ingemisce & dole, quòd adhuc ita carnalis sis & mundanus: tam immortificatus à passionibus: tam  
plenus



plenus concupiscentiarum motibus:  
 tam incustoditus in sensibus exterioribus:  
 tam sæpè multis vanis phantasiis implicatus:  
 tam multùm inclinatus ad exteriora:  
 tam negligens ad interiora:  
 tam leuis ad risum & dissolutionem:  
 tam durus ad fletum & compunctionem:  
 tam promptus ad laxiora & carnis commoda:  
 tam segnis ad rigorem & feruorem:  
 tam curiosus ad noua audienda & pulchra intuenta:  
 tam remissus ad humilia & abiecta amplectenda:  
 tam cupidus ad multa habenda:  
 tam parcus ad dandum:  
 tam tenax ad retinendum:  
 tam inconsideratus in loquendo:  
 tam incontinens in tacendo:  
 tam incompotus in moribus:  
 tam importunus in actibus:  
 tam effusus super cibum:  
 tam surdus ad Dei verbum:  
 tam velox ad quietem:  
 tam tardus ad laborem:  
 tam vigilans ad fabulas:  
 tam somnolentus ad vigilias sacras:  
 tam festinus ad finem:  
 tam vagus ad attendendum:  
 tam negligens in Horis persoluendis:  
 tam tepidus in celebrando:  
 tam aridus in communicando:  
 tam citò distractus: tam rarò plenè



tibi collectus : tam subito commotus ad iram : tam facilis ad alterius displicentiam : tam pronus ad iudicandum : tam rigidus ad arguendum : tam lætus ad prospera : tam debilis in aduersis : tam sæpè multa bona proponens , & modicum ad effectum perducens.

3 His & aliis defectibus tuis , cum dolore & magna displicentia propriæ infirmitatis confessis ac deploratis , firmum statue propositum semper emendandi vitam tuam , & in melius proficiendi. Deinde cum plena resignatione & integra voluntate , offer teipsum in honorem nominis mei , in ara cordis tui holocaustum perpetuum , corpus tuum scilicet & animam , mihi fideliter committendo : quatenus & sic dignè merearis ad offerendum Deo sacrificium accedere , & Sacramentum Corporis mei salubriter suscipere.

4 Non est enim oblatio dignior , & satisfactio maior pro peccatis diluendis , quàm seipsum purè & integrè , cum oblatione Corporis Christi in Missa & in Communione Deo offerre.



ferre. Si fecerit homo, quod in se est,  
& verè pœnituerit : quotiescumque  
pro venia & gratia ad me accesserit,  
Viuo ego, dicit Dominus, qui nolo Exes. 18  
mortem peccatoris, sed vt magis con-  
uertatur & viuat : quoniam peccato-  
rum suorum non recordabor ampliùs,  
sed cuncta sibi indulta erunt.

## CAP. VIII.

*De oblatione Christi in cruce, & pro-  
pria resignatione.*

## VOX DILECTI.

**S**ICVT ego meipsum, expansis in Isa. 53.  
cruce manibus, & nudo corpore, & Heb.  
pro peccatis tuis Deo Patri sponte ob- 9.  
tuli, ita vt nihil in me remaneret, quin  
totum in sacrificium diuinæ placatio-  
nis transfiret : ita debes & tu temet-  
ipsum mihi voluntariè, in oblationem  
puram & sanctam, quotidie in Missa,  
cum omnibus viribus & affectibus  
tuis, quantò intimiùs vales, offerre.  
Quid magis à te requiro, quàm vt Prov. 23  
te studeas mihi ex integro resigna-  
re ? Quidquid præter teipsum das,  
nihil



nihil curo: quia non quæro datum tuum, sed te.

2 Sicut non sufficeret tibi omnibus habitis, præter me: ita nec mihi placere poterit, quicquid dederis, te non oblato. Offer te mihi, & da te totum pro Deo, & erit accepta oblatio. Ecce, ego me totum obtuli Patri pro te; dedi etiam totum Corpus meum & Sanguinem in cibum, vt totus tuus essem, & tu meus permaneres. Si autem in teipso steteris, nec sponte te ad voluntatem meam obtuleris, non est plena oblatio, nec integra erit inter nos unio. Igitur omnia opera tua præcedere debet, spontanea tui ipsius in manus Dei oblatio, si libertatem consequi vis & gratiam. Ideò enim tan pauci illuminati, & liberi intus efficiuntur, quia seipsum ex toto abnegare nesciunt. Est firma sententia mea:

*Luc. 14.* Nisi quis renuntiauerit omnibus, non potest meus esse discipulus. Tu ergo si optas meus esse discipulus, offer teipsum mihi, cum omnibus affectibus tuis.

CAP,



## CAP. IX.

*Quòd nos, & omnia nostra, Deo debe-  
mus offerre, & pro omnibus orare.*

## VOX DISCIPVLI.

**D**OMINE, omnia tua sunt, quæ Ps. 23.  
in cælo sunt, & quæ in terra.  
Desidero meipsum tibi in sponta-  
neam oblationem offerre, & tuus per-  
petuè permanere. Domine, in simpli-  
citate cordis mei, offero meipsum ti-  
bi hodie in seruum sempiternum, in  
obsequium & in sacrificium laudis  
perpetuæ. Suscipe me, cum hac san-  
cta oblatione tui pretiosi Corporis,  
quam tibi hodie in præsentia Angelo-  
rum, inuisibiliter assistentium, offe-  
ro: vt sit pro me, & pro cuncto po-  
pulo tuo in salutem.

Domine, offerotibi omnia pecca-  
ra & delicta mea, quæ commisi coram  
te, & sanctis Angelis tuis, à die quo  
primùm peccare potui vsque ad ho-  
ram hanc, super placabili altari tuo:  
vt tu omnia pariter incendas & com-  
buras igne charitatis tuæ, & deleas  
vniuer-



vniuersas maculas peccatorum meorum, & conscientiam meam ab omni delicto emundes, & restituas mihi gratiam tuam, quam peccando amisi, omnia mihi plenè indulgendo, & in osculum pacis me misericorditer assumendo.

*Psal. 31.* 3 Quid possum agere pro peccatis meis, nisi humiliter ea confitendo & lamentando, & tuam propitiationem incessanter deprecando? Deprecor te, exaudi me propitius, vbi asto coram te Deus meus. Omnia peccata mea mihi maximè displicent, nolo ea vniquam ampliùs perpetrare: sed pro eis doleo & dolebo, quamdiu vixero, paratus pœnitentiam agere, & pro posse satisfacere. Dimitte mihi Deus, dimitte mihi peccata mea, propter nomen sanctum tuum: salua animam meam, quam pretioso Sanguine tuo redemisti. Ecce committo me misericordiæ tuæ, resigno me manibus tuis. Age mecum secundùm bonitatem tuam, non secundùm meam malitiam & iniquitatem.

4 Offero etiam tibi omnia bona mea, quamuis valdè pauca & imperfecta;



fecta ; vt tu ea emendes & sanctifices ;  
vt ea grata habeas , & accepta tibi fa-  
cias , & semper ad meliora trahas ; nec  
non ad beatum ac laudabilem finem ,  
me pigrum & inutilem homuncio-  
nem , perducas.

5 Offero quoque tibi omnia pia  
desideria deuotorum , necessitates pa-  
rentum , amicorum , fratrum , foro-  
rum , omniumque charorum meo-  
rum , & eorum qui mihi vel aliis , pro-  
pter amorem tuum benefecerunt : &  
qui orationes & Missas pro se suisque  
omnibus , dici à me desiderauerunt &  
petierunt , siue in carne adhuc viuant ;  
siue iam sæculo defuncti sint : vt om-  
nes sibi auxilium gratiæ tuæ , opem  
consolationis , protectionem à peri-  
culis , liberationem à pœnis , adue-  
nire sentiant , & vt ab omnibus ma-  
lis erepti , gratias tibi magnificas læti  
persoluant.

6 Offero etiam tibi preces & hostias  
placationis , pro illis specialiter , qui  
me in aliquo læserunt , contristauerunt ,  
aut vituperauerunt , vel aliquod  
damnum vel grauamen intulerunt :  
pro his quoque omnibus , quos ali-  
quando



quando contristauī, conturbauī, gra-  
 uauī, & scandalizauī, verbis, factis,  
 scienter vel ignoranter: vt nobis om-  
 nibus pariter indulgeas peccata no-  
 stra & mutuas offensiones. Aufer  
 Domine à cordibus nostris omnem  
 suspicionem, indignationem, iram  
 & disceptationem, & quidquid po-  
 test charitatem lædere, & frater-  
 nam dilectionem minuere. Misere-  
 re, misere Domine, misericordiam  
 tuam poscentibus, da gratiam in-  
 digentibus: & fac nos tales existe-  
 re, vt simus digni gratia tua perfrui,  
 & ad vitam proficiamus æternam.  
 Amen.

## CAP. X.

*Quòd sacra Communio, de facili non  
 est relinquenda.*

## VOX DILECTI.

**F**REQVENTER recurrendum est  
 ad fontem gratiæ, & diuinę mise-  
 ricordiæ, ad fontem bonitatis & totius  
 puritatis: quatenus à passionibus tuis  
 & vitiis curari valeas, & contra vni-  
 uersas tentationes & fallacias diaboli,  
 fortior



fortior atque vigilantior effici merearis. Inimicus sciens fructum & remedium maximum, in sacra Communionem positum, omni modo & occasione nititur fideles & deuotos, quantum præualet, retrahere & impedire.

2 Cùm enim quidam sacrae Communioni se aptare disponunt, peiores Satanæ immisiones patiuntur. Ipse nequam spiritus ( vt in Iob scribitur ) venit inter filios Dei, vt solita illos nequitia sua perturbet, aut timidos nimium reddat & perplexos: quatenus affectum eorum minuat, vel fidem impugnando auferat: si fortè aut omnino Communionem relinquunt, aut cum tepore accedant. Sed non est quidquam curandum, de uersutiis & phantasiis illius quantumlibet turpibus & horridis, sed cuncta phantasmata in caput eius sunt retorquenda. Contemnendus est miser & deridendus, nec propter insultus eius & commotiones, quas suscitatur, sacra est omittenda Communionis. *Iob 1.*

3 Sæpè etiam impedit nimia sollicitudo pro deuotione habenda, & anxietas quædam de confessione facienda.



*Prov. 13*

cienda. Age secundum consilium sapientum, & depone anxietatem & scrupulum: quia gratiam Dei impedit, & deuotionem mentis destruit. Propter aliquam paruum turbationem vel grauitatem, sacram ne dimittas Communionem: sed vade citius confiteri, & omnes offensiones aliis libenter indulge. Si verò tu aliquem offendisti, veniam humiliter precare, & Deus libenter indulget tibi.

*Mat. 5.*

4 Quid prodest diu tardare confessionem, aut sacram differre Communionem? Expurga te cum primis, expue velociter venenum, festina accipere remedium, & senties melius, quàm si diu distuleris. Si hodie propter istud dimittis, cras forsitan aliud maius eueniet: & sic diu posses à Communionem impediri, & magis ineptus fieri. Quantò citius vales, à presenti grauitate & inertia te excutias: quia nihil importat diu anxari, diu cum turbatione transire, & ob quotidiana obstacula, se à diuinis sequestrare. Imò plurimum nocet, diu Communionem protelare, nam & grauem torporem consuevit inducere.

Proh



Proh dolor, quidam tepidi & dissoluti, moras confitendi libenter accipiunt, & Communionem sacram idcirco differri cupiunt, ne ad maiorem sui custodiam se dare teneantur.

5 Heu, quàm modicam charitatem, & debilem deuotionem habent, qui sacram Communionem tam faciliter postponunt. Quàm felix ille, & Deo acceptus habetur, qui sic viuit, & in tali puritate conscientiam suam custodit, vt etiam omni die communicare paratus, & benè affectatus esset, si ei liceret, & sine nota agere posset. Si quis interdum abstinet humilitatis gratia, aut legitima impediēte causa, laudandus est de reuerentia. Si autem torpor obrepserit, seipsum excitare debet, & facere quod in se est, & Dominus aderit desiderio suo pro bona voluntate, quam specialiter respicit.

6 Cùm verò legitimè præpeditus est, habebit semper bonam voluntatem, & piam intentionem communicandi, & sic non carebit fructu Sacramenti. Potest enim quilibet deuotus, omni die & omni hora, ad spiritua-

lem



lem Christi Communionem, salu-  
briter & sine prohibitione accedere:  
& tamen certis diebus & statuto tem-  
pore, Corpus sui Redemptoris, cum  
affectuosa reuerentia Sacramentali-  
ter debet suscipere, & magis laudem  
Dei & honorem prætere, quàm  
1. Cor. suam consolationem quærere. Nam  
11. toties mysticè communicat, & inui-  
sibiliter reficitur, quoties incarnatio-  
nis Christi mysterium passionem-  
que deuotè recolit, & in amore eius  
accenditur.

7 Qui aliter se non præparat, nisi  
instante festo, vel consuetudine com-  
pellente, sæpius imparatus erit. Bea-  
tus, qui se Domino in holocaustum  
offert, quoties celebrat aut commu-  
nicat. Non sis in celebrando nimis  
prolixus aut festinus, sed serua bo-  
num communem modum cum qui-  
bus uiuis. Non debes aliis generare  
molestiam & tædium, sed commu-  
nem seruare viam secundum maio-  
rum institutionem: & potiùs aliorum  
seruire vtilitati, quàm propriæ deuo-  
tioni vel affectui.

CAP.



## CAP. XI.

*Quòd corpus Christi, & sacra Scri-  
ptura maxime sint animæ  
fidei necessaria.*

## VOX DISCIPVLI.

**O** Dulcissime Domine Iesu, quã-  
ta est dulcedo deuotæ animæ,  
tecum epulantis in conuiuio tuo: vbi  
ei non alius cibus manducandus pro-  
ponitur, nisi tu vnicus dilectus eius,  
super omnia desideria cordis eius de-  
siderabilis. Et mihi quidem dulce fo-  
ret in præsentia tua, ex intimo affectu  
lachrymas fundere, & cum pia Mag-  
dalena pedes tuos lachrymis irrigare. Luc. 7.  
Sed vbi est hæc deuotio? vbi lachry-  
marum sanctarum copiosa effusio?  
Certè in conspectu tuo & sanctorum  
Angelorum tuorum, totum cor meum  
ardere deberet, & ex gaudio flere.  
Habeo enim te in Sacramento verè  
præsentem, quamuis aliena specie oc-  
cultatum.

**2** Nam in propria, & diuina claritate  
te conspicere, oculi mei ferre non pos-  
sent: sed neque totus mundus in ful-

N

gore



gore gloriae maiestatis tuae subsisteret. In hoc ergo imbecillitati meae consulis, quod te sub Sacramento abscondis. Habeo verè & adoro, quem Angeli adorant in caelo; sed ego adhuc interim in fide, illi autem in specie & sine velamine. Me oportet contentum esse in lumine verè fidei, & in ea ambulare, donec aspiret dies aeternae claritatis, & umbræ figurarum inclinentur. Cùm autem venerit quod perfectum est, cessabit usus Sacramentorum: quia beati in gloria caelesti, non egent medicamine sacramentali: gaudent enim sine fine in praesentia Dei, facie ad faciem gloriam eius speculantes, & de claritate in claritatem abyssalis deitatis transformati, gustant Verbum Dei caro factum, sicut fuit ab initio, & manet in aeternum.

I. Cor.  
13.

3 Memor horum mirabilium, graue mihi fit tedium, etiam quodlibet spirituale solatium: quia quamdiu Dominum meum aperte in sua gloria non video, pro nihilo duco omne, quod in mundo conspicio & audio. Testis es tu mihi Deus, quod nulla me res potest consolari, nulla creatura quietare, nisi  
tu Deus



tu Deus meus, quem desidero æterna-  
liter contemplari . Sed non est hoc  
possibile, durante me in hac mortali-  
tate. Ideò oportet, vt me ponam ad  
magnam patientiam, & meipsum in *Heb. 10*  
omni desiderio tibi submittam. Nam *11.*  
& Sancti tui Domine, qui tecum iam  
in regno cælorum exultant, in fide &  
patientia magna, dum viuerent, ad-  
uentû gloriæ tuæ expectabant. Quod  
illi crediderunt, ego credo: quod illi  
sperauerunt, ego spero: quò illi perue-  
nerunt, per gratiam tuam me ventu-  
rum confido. Ambulabo interim in  
fide, exemplis cõfortatus Sanctorum.  
Habeo etiam libros sanctos pro sola-  
tio & vitæ speculo, atque super hæc  
omnia sanctissimum Corpus tuum,  
pro singulari remedio & refugio.

4 Duo namque mihi necessaria per-  
maximè sentio in hac vita, sine quibus  
mihi importabilis foret ista miserabi-  
lis vita. In carcere corporis huius de-  
tentus, duobus me egere fateor, cibo  
scilicet & lumine. Dedisti itaque mihi *Ioan. 6.*  
infirmo, sacrum Corpus tuum ad re-  
fectionem mentis & corporis: & po-  
suisti lucernam pedibus meis, verbum *Pf. 118.*

N 2 tuum.



*Psal. 22*  
*Heb. 9.*  
*13.*

tuum. Sine his duobus, benè viuere non possem: nam verbum Dei, lux animæ meæ: & Sacramentum tuum, panis vitæ. Hæc possunt etiam dici mensæ duæ, hinc & inde in gazophylacio sanctæ Ecclesiæ positæ. Vna mensa est sacri altaris, habens panem sanctum, id est, Corpus Christi pretiosum: altera est diuinæ legis, continens doctrinam sanctam, erudiens fidem rectam, & firmiter vsque ad interiora velaminis, vbi sunt Sancta sanctorum, perducens. Gratias tibi Domine Iesu, lux lucis æternæ, pro doctrinæ sacræ mensa, quam nobis per seruos tuos Prophetas & Apostolos, aliosque Doctores ministrasti.

*Luc. 14.* 5 Gratias tibi Creator ac Redemptor hominum, qui ad declarandam toti mundo charitatem tuam, cœnam parasti magnam, in qua non agnum typicum, sed tuum sanctissimū Corpus & Sanguinem proposuisti manducandum: lætificans omnes fideles conuiuio sacro, & calice inebrians salutari, in quo sunt omnes deliciæ paradisi, & epulantur nobiscum Angeli sancti, sed suauitate feliciori.

*Psal. 22*  
*16.*  
*16.*



6 O quàm magnum & honorabile est officium Sacerdotum, quibus datum est Dominum maiestatis verbis sacris consecrare, labiis benedicere, manibus tenere, ore proprio sumere, & ceteris ministrare. O quàm mundæ debent esse manus illæ, quàm purum os, quàm sanctum corpus, quàm immaculatum cor erit Sacerdotis, ad quem toties ingreditur Auctor puritatis. Ex ore Sacerdotis nihil nisi sanctum, nihil nisi honestum & utile procedere debet verbum, qui tam sæpè Christi accipit Sacramentum.

7 Oculi eius simplices & pudici, qui Christi Corpus solent intueri. Manus puræ, & in cælum eleuatæ, quæ Creatorem cæli & terræ solent contractare. Sacerdotibus specialiter in Lege dicitur: Sancti estote, quoniam ego *Leu. 19*  
sanctus sum Dominus Deus vester. *et 10.*

8 Adiuet nos gratia tua omnipotens Deus, vt qui officium Sacerdotale suscepimus, dignè ac deuotè tibi in omni puritate & conscientia bona famulari valeamus. Et si non possumus in tanta innocentia vitæ conuersari, vt debemus; concede nobis



tamen dignè flere mala, quæ gessimus:  
& in spiritu humilitatis, ac bonæ vo-  
luntatis proposito, tibi feruentius de  
cetero deferuire.

## CAP. XII.

*Quòd magna diligētia se debeat, Com-  
municaturus Christo, preparare.*

## VOX DILECTI.

**E**GO sum puritatis amator, & da-  
tor omnis sanctitatis. Ego cor-  
purum quæro, & ibi est locus requie-  
tionis meæ. Para mihi cœnaculum  
grande stratum, & faciam apud te Pa-  
scha cum discipulis meis. Si vis, vt ve-  
niam ad te, & apud te maneam: expur-  
ga vetus fermentum, & munda cordis  
tui habitaculum. Exclude totum sæcu-  
lum, & omnem vitiorum tumultum:  
sede tamquã passer solitarius in tecto,  
& cogita excessus tuos in amaritudine  
animæ tuæ. Omnis namque amans,  
suo dilecto amatori, optimum & pul-  
cherrimum præparat locum, quia in  
hoc cognoscitur affectus suscipientis  
dilectum.

2 Scito tamen te nõ posse satisfacere  
huic



huic preparationi, ex merito tuę actionis, etiamsi per integrum annum te præparares, & nihil aliud in mente haberes. Sed ex sola pietate & gratia mea, permittaris ad mensam meam accedere, ac si mendicus ad prandium vocaretur diuitis, & ille nihil aliud habeat ad retribuendū beneficiis eius, nisi se humiliando & ei regratiando. Fac, quod in te est, & diligenter facito: non ex consuetudine, non ex necessitate, sed cum timore, & reuerentia, & affectu, accipe Corpus dilecti Domini Dei tui, dignantis ad te venire. ego sum qui vocavi, ego iussi fieri; ego supplebo quod tibi deest: veni, & suscipe me.

3 Cū gratiam deuotionis tribuo, gratias age Deo tuo: non quia dignus es, sed quia tui misertus sum. Si non habes, sed magis aridum te sentis, insiste orationi, ingemisce & pulsa: nec desistas, donec merearis micam aut guttam gratiæ salutaris accipere. Tu mei indiges, non ego tui indigeo. Nec tu me sanctificare venis, sed ego te sanctificare & meliorare venio. Tu venis, vt ex me sanctificeris, & mihi



vnariis, vt nouam gratiam recipias, & de nouo ad emendationem accendaris. Noli negligere hanc gratiam: sed præpara cum omni diligentia cor tuum, & introduc ad te dilectum tuum.

4 Oportet autem, vt non solum te præpares ad deuotionem ante Communionem, sed vt etiam te sollicitè conserues in ea, post Sacramenti perceptionem. Nec minor custodia post exigitur, quàm deuota preparatio prius. Nam bona postmodum custodia, optima iterum est præparatio, ad maiorem gratiam consequendam. Ex eo quippe valdè indispositus quis redditur, si statim fuerit nimis effusus ad exteriora solatia. Caue à multiloquio, mane in secreto, & fruere Deo tuo. Ipsum enim habes, quem totus mundus tibi auferre non potest. Ego sum, cui te totum dare debes: ita vt iam ultra non in te, sed in me, absque omni sollicitudine, viuas.

Prou. 10

CAP.



## CAP. XIII.

*Quòd toto corde anima deuota, Christi  
unionem in Sacramento, affe-  
ctare debet.*

## VOX DISCIPULI.

**Q**UIS mihi det, Domine, vt inue-  
niam te solum, & aperiam tibi  
totum cor meum, & fruam te, sicut de-  
siderat anima mea: & iam me nemo  
despiciat, nec vlla creatura me moueat  
vel respiciat, sed tu solus mihi loqua- *Exod.*  
ris, & ego tibi, sicut solet dilectus ad *33. &*  
dilectum loqui, & amicus cum amico *Cant. 8.*  
conuiuari? Hoc oro, hoc desidero, vt  
tibi totus vniam, & cor meum ab om-  
nibus creatis rebus abstraham, ma-  
gisque per sacram Communionem, ac  
frequentem celebrationem, cælestia  
& æterna sapere discam. Ah Domine  
Deus, quando ero tecum totus vnitus  
& absorptus, mei que totaliter obli-  
tus? Tu in me, & ego in te, & sic nos *Ioan. 15*  
pariter in vnum manere concede.

2 Verè tu es dilectus meus, electus *Cant. 5.*  
ex millibus, in quo complacuit anime  
meæ habitare omnibus diebus vitæ  
sue.



suæ. Verè tu pacificus meus, in quo  
 pax summa & requies vera, extra  
 quem labor & dolor, & infinita mise-  
*Prou. 3.* ria. Verè tu es Deus absconditus, &  
 consilium tuum non est cum impiis,  
 sed cum humilibus & simplicibus ser-  
*Sap. 12.* mo tuus. O quàm suavis est Domi-  
 ne spiritus tuus, qui vt dulcedinem  
 tuam in filios demonstrares, pane sua-  
 uissimo, de cælo descendente, illos re-  
*Deut. 4.* ficere dignaris. Verè non est alia natio  
 tam grandis, quæ habeat deos appro-  
 pinquantes sibi, sicut tu Deus noster  
 ades vniuersis fidelibus tuis, quibus  
 ob quotidianum solatium, & cor eri-  
 gendum in cælum, te tribuis ad eden-  
 dum & fruendum.

3 Quæ est enim alia gens tam inclyta,  
 sicut plebs Christiana? Aut quæ crea-  
 tura sub cælo tam dilecta, vt anima de-  
 uota, ad quam ingreditur Deus, vt  
 pascat eam carne sua gloriosa? O inef-  
 fabilis gratia! ô admirabilis dignatio!  
 ô amor immensus homini singulariter  
*Pf. 115* impensus! Sed quid retribuam Domi-  
 no pro gratia ista, pro charitate tam  
 eximia? Non est aliud, quod gratius  
 donare queam, quàm vt cor meum  
 Deo



Deo meo totaliter tribuam, & intimè  
coniungam. Tunc exultabunt omnia  
interiora mea, cum perfectè fuerit  
vnita Deo anima mea. Tunc dicet  
mihî: Si tu vis esse mecum, ego volo  
esse tecum. Et ego respondebo illi:  
Dignare Domine manere mecum, ego  
volo libenter esse tecum. Hoc est to-  
tum desiderium meam, vt cor meum  
tibi sit vnitum.

## CAP. XIII.

*De quorundam deuotorum ardenti  
desiderio, ad Corpus Christi.*

VOX DISCIPULI.

**Q**UAM magna multitudo dul- Psal. 30  
cedinis tuæ Domine, quam  
abscondisti timentibus te! Quando  
recordor deuotorum aliquorum, ad  
Sacramentum tuum Domine, cum  
maxima deuotione, & affectu acce-  
dentium, tunc sæpiùs in me ipso con-  
fundor, & erubesco: quòd ad altare  
tuum, & sacræ Cõmunionis mensam,  
tam tepidè & frigidè accedo. Quòd  
ita aridus, & sine affectione cordis  
maneo. Quòd non sum totaliter ac-  
census



census coram te Deo meo; nec ita vehementer attractus & affectus, sicut multi deuoti fuerunt, qui præ nimio desiderio Communionis, & sensibili cordis amore, à fletu se non potuerunt cōtinere: sed ore cordis & corporis pariter, ad te Deum fontem viuum medullitus inhiabant, suam esuriam non valentes aliter temperare nec satiare, nisi Corpus tuum cum omni iucunditate & spiritali auiditate accepissent.

2 O vera ardens fides eorum, probabile existens argumentū sacræ præsentia tuæ. Isti enim veraciter cognoscunt Dominum suum in fractione panis, quorum cor tam validè ardet in eis, de Iesu ambulante cum eis. Longè est à me sæpè talis affectus & deuotio, tam vehemens amor & ardor. Esto mihi propitius Iesu bone, dulcis & benigne: & concede pauperi mendico tuo, vel interdum modicum de cordiali affectu amoris tui, in sacra Communione sentire, vt fides mea magis conualescat, spes in bonitate tua proficiat, & charitas semel perfectè accensa, & cæleste manna experta, nunquam deficiat.



3 Potens est autem misericordia tua, etiam gratiam desideratam mihi præstare, & in spiritu ardoris, cum dies beneplaciti tui venerit, me clementissimè visitare. Etenim licet tanto desiderio tam specialium deuotorum tuorum non ardeo, tamen de gratia tua, illius magni inflammati desiderij, desiderium habeo, orans & desiderans, omnium talium feruidorum amatorum tuorum, participem me fieri, ac eorum sancto consortio annumerari.

## CAP. XV.

*Quòd gratia deuotionis, humilitate  
& sui ipsius abnegatione, acquiritur.*

## VOX DILECTI.

**I**PORTET te deuotionis gratiam instanter quærere, desideranter petere, patienter & fiducialiter expectare, gratanter recipere, humiliter conseruare, studiosè cum ea operari ac Deo terminum & modum supernæ uisitationis, donec ueniat, committere. Humiliare præcipuè te debes, cum parum aut nihil deuotionis interiùs sentis; sed non nimium de-



iici, nec inordinatè contristari. Dat sæpè Deus in vno breui momento, quod longo negauit tempore. Dat quandoque in fine, quod in principio orationis distulit dare.

2 Si semper citò gratia daretur, & pro voto adesset, non esset infirmo homini benè portabile. Propterea in bona spe, & humili patientia, expectanda est deuotionis gratia. Tibi tamen, & peccatis tuis imputa, cùm non datur, vel etiam occultè tollitur. Modicum quandoque est, quod gratiam impedit & abscondit, si tamen modicum, & non potiùs grande dici debeat, quod tantum bonum prohibet. Et si hoc ipsum modicum vel grande amoueris, & perfectè viceris, erit quod petisti.

3 Statim namque, vt te Deo ex toto corde tradideris, nec hoc vel illud, pro tuo libitu seu velle quæsieris, sed integrè te in ipso posueris, vnitum te inuenies, & pacatum; quia nil ita benè sapiet & placebit, sicut beneplacitum diuinæ voluntatis. Quisquis ergo intentionem suam, simplici corde sursum ad Deum leuauerit, seque ab omni



ni inordinato amore, seu displicentia cuiuslibet rei creatæ, euacuauerit, aptissimus gratiæ percipiendæ, ac dignus deuotionis munere erit. Dat enim Dominus ibi benedictionem suam, vbi vasa vacua inuenerit. Et quantò perfectiùs infimis quis renuntiat, & magis sibi ipsi per contemptum sui moritur, tantò gratia celeriùs venit, copiosiùs intrat, & altiùs liberum cor eleuat.

4 Tunc videbit, & affluet, & mirabitur, & dilatabitur cor eius in ipso, quia manus Domini cum eo, & ipse se posuit totaliter in manu eius vsque in sæculum. Ecce sic benedicetur homo, qui quærit Deum in toto corde suo, nec in vanum accipit animã suam. Hic in accipiendo sacram Eucharistiæ magnam promeretur diuinæ vniõnis gratiam, quia non respicit ad propriam deuotionem & consolationem, sed super omnem deuotionem, & consolationem, ad Dei gloriam & honorem.

Isai. 60.

CAP.



## CAP. XVI.

*Quod necessitates nostras Christo aperire, & eius gratiã postulare debemus.*

## VOX DISCIPULI.

**I** O Dulcissime atque amantissime Domine, quem nunc deuotè desidero suscipere, tu scis infirmitatem meam & necessitatem, quam patior; in quantis malis & vitiis iaceo; quàm sæpè sum grauatus, tentatus, turbatus, & inquinatus. Pro remedio ad te venio, pro consolatione & subleuamine te deprecor. Ad omnia scientè loquor, cui manifesta sunt omnia interiora mea, & qui solus potes me perfectè consolari, & adiuuare. Tu scis, quibus bonis indigeo præ omnibus, & quàm pauper sum in virtutibus.

2 Ecce, sto ante te pauper & nudus, gratiam postulans, & misericordiam implorans. Refice esurientem mendicum tuam, accende frigiditatè meam igne amoris tui, illumina cæcitatem meam claritate præsentia tuæ. Verte mihi omnia terrena in amaritudinem, omnia graua & contraria in patientiam,



tiam, omnia infima & creata in contemptum & obliuionem. Erige cor meum ad te in cælum, & ne dimittas me vagari super terram. Tu solus mihi ex hoc iam dulcescas vsq; in sæculum; quia tu solus cibus & potus meus, amor meus & gaudium meum, dulcedo mea & totum bonum meum.

3 Vtinam me totaliter ex tua præsentia accendas, comburas, & in te transformes; vt vnus tecum efficiar spiritus, per gratiam internæ vnionis, & liquefactionem ardētis amoris. Ne patiaris me ieiunum & aridum à te recedere, sed operare mecū misericorditer, sicut sæpius operatus es cum Sanctis tuis mirabiliter. Quid mirum, si totus ex te ignescerem, & in meipso deficerem; cum tu sis ignis semper ardens, & nunquam deficiens; amor corda purificans, & intellectum illuminans. *2. Cor. 6*

## CAP. XVII.

*De ardenti amore, & vehementi affectu suscipiendi Christum.*

IVOX DISCIPVLI.  
**C**VM summa deuotione & ardenti amore, cum toto cordis affe-

affe-



affectu & feruore, desidero te Domine suscipere, quemadmodum multi Sancti & deuotæ personæ, in communicando te desiderauerunt, qui tibi maximè in sanctitate vitæ placuerunt, & in ardentissima deuotione fuerunt. O Deus meus, amor æternus, totum bonum meum, felicitas interminabilis, cupio te suscipere cum vehementissimo desiderio & dignissima reuerentia, quam aliquis Sanctorum vniquam habuit, & sentire potuit.

2 Et licet indignus sum omnia illa sentimenta deuotionis habere, tamen offero tibi totum cordis mei affectum, ac si omnia illa gratissima inflammata desideria, solus haberem. Sed & quæcumque potest pia mens concipere & desiderare, hæc omnia tibi, cum summa veneratione, & intimo fauore, præbeo & offero. Nihil opto mihi reseruare, sed me & omnia mea, tibi sponte & libentissimè immolare. Domine Deus meus, creator meus, & redemptor meus, cum tali affectu, reuerentia, laude & honore; cum tali gratitudine, dignitate, & amore; cum tali fide, spe & puritate, te affecto hodie susci-



suscipere, sicut te suscepit & desideravit sanctissima mater tua, gloriosa virgo Maria, quando Angelo euangelizanti sibi incarnationis mysterium, humiliter ac deuotè respondit: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. *Luce 1.*

3 Et sicut beatus præcursor tuus, excellentissimus Sanctorum Ioannes Baptista, in præsentia tua lætabundus exultauit in gaudio Spiritus sancti, dum adhuc maternis clauderetur visceribus: Et postmodum cernens inter homines Iesum ambulantem, valdè se humilians, deuoto cum affectu dicebat: Amicus autem sponsi, qui stat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi: sic & ego, magnis & sacris desideriiis opto inflammari, & tibi ex toto corde me ipsum præsentare. Vnde & omnium deuotorum cordium iubilationes, ardentes affectus, mentales excessus, ac supernaturales illuminationes, & cælicas visiones tibi offero & exhibeo cum omnibus virtutibus & laudibus, ab omni creatura in cælo & in terra celebratis, & celebrandis, pro me & omnibus mihi in oratio-



oratione commendatis ; quatenus ab omnibus dignè lauderis , & in perpetuum glorificeris.

4 Accipe vota mea Domine Deus meus, & desideria infinitæ laudationis, ac immensæ benedictionis ; quæ tibi, secundum multitudinem ineffabilis magnitudinis tuæ, iure debentur. Hæc tibi reddo, & reddere desidero, per singulos dies & momenta temporum; atque ad reddendum mecum tibi gratias & laudes, omnes cælestes spiritus, & cunctos fideles tuos, precibus & affectibus inuito & exoro.

*Pf. 116.* 5 Laudent te vniuersi populi, tribus, & linguæ ; & sanctum ac mellifluum nomen tuum, cum summa iubilatione, & ardenti deuotione magnificent. Et quicumque reuerenter ac deuotè altissimum Sacramentū tuum celebrant, & plena fide recipiunt, gratiam & misericordiam apud te inuenire mereantur, & pro me peccatore suppliciter exorent. Cumque optata deuotione, ac fruibili vnione, potiti fuerint, & benè consolati, ac mirificè refecti, de sacra mensa cælesti abscesserint, mei pauperis recordari dignentur.

CAP.



## CAP. XVIII.

*Quòd homo non sit curiosus scrutator  
Sacramenti, sed humilis imitator  
Christi, subdendo sensum suum sa-  
cræ fidei.*

## VOX DILECTI.

**C**AVENDVM est tibi à curiosa,  
& inutili perscrutatione huius  
profundissimi Sacramenti, si non vis  
in dubitationis profundum submer-  
gi. Qui scrutator est maiestatis, op- Prov. 25  
primeretur à gloria. Plus valet Deus  
operari, quàm homo intelligere po-  
rest. Tolerabilis, pia, & humilis in-  
quisitio veritatis, parata semper doce-  
ri, & per sanas Patrum sententias stu-  
dens ambulare.

2 Beata simplicitas, quæ difficiles  
quæstionum relinquit vias, & plana ac  
firma pergit semita mandatorum Dei.  
Multi devotionem perdidderunt, dum  
altiora scrutari voluerunt. Fides à te  
exigitur, & sincera vita; non altitudo  
intellectus, neque profunditas myste-  
riorum Dei. Si non intelligis, nec ca-  
pis, quæ infra te sunt, quomodo  
compre-



comprehendes, quæ supra te sunt? Subdere Deo, & humilia sensum tuum fidei, & dabitur tibi scientiæ lumen, prout tibi fuerit vtile ac necessarium.

3 Quidam grauius tentantur de fide & Sacramento, sed non est hoc ipsis imputandum, sed potius inimico. Noli curare, noli disputare cum cogitationibus tuis, nec ad immixtas à diabolo dubitationes responde; sed crede verbis Dei, crede Sanctis eius & Prophetis, & fugiet à te nequam inimicus. Sæpè multum prodest, quòd talia sustinet Dei seruus. Nam infideles & peccatores non tentat, quos securè iam possidet; fideles autem deuotos, variis modis tentat & vexat.

4 Perge ergo cum simplici & indubitata fide, & cum supplici reuerentiâ ad Sacramentum accede. Et quidquid intelligere non vales, Deo omnipotenti securè committe. Non fallit te Deus; fallitur, qui sibi ipsi nimium credit. Graditur Deus cum simplicibus, reuelat se humilibus, dat intellectum paruulis, aperit sensum puris mentibus, & abscondit gratiam curiosis & superbis. Ratio humana debilis est,

*Psal. 118*  
*& 118.*  
*Mat. 11*



est, & falli potest; fides autem vera, falli non potest.

§ Omnis ratio, & naturalis inuestigatio, fidem sequi debet, non præcedere, nec infringere. Nam fides & amor ibi maximè præcellunt, & occultis modis in hoc sanctissimo & superexcellentiſſimo Sacramento operantur. Deus æternus & immensus, infinitæque potentiæ, facit magna & inscrutabilia in cælo & in terra, nec est inuestigatio mirabilium operum eius. Si talia essent opera Dei, vt facilè ab humana ratione caperentur, non essent mirabilia, nec ineffabilia dicenda.

F I N I S.



IN-